BAPTISMUS FLAMINIS
SIVE
DE SPIRITUS SANCTI ADVENTU:
ORATIO

Habita in Sacello Pontificio
AD SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM
CLEMENTEM XI.
PONT. OPT. MAX.

AB ERNESTO AMADEO Sac. Rom. Imp. Comite ab ATHEMBS
Libero Barone ad Sanctam Crucem, Lucenis, Podgora,
Fanzenberg, & Helfhenstein &c. Cathedralis
Ecclesiæ Passaviensis Canonico,
Seminarii Romani Convictore.



ANNO MDCCXV.



ROMÆ, Ex Officina Zenobii Scalptoris SS. D. N.

SUPERIORUM FACULTATE.



CLEMENTI XI.
PONT. OPT. MAX.

ERNESTUS AMADEUS AB ATHEMBS

FELICITATEM.



N alterum, BEATISSIME PATER, *vel obſequii erga TE mei, vel Humanitatis erga me Tuæ monumentum, & pignus. Aliquot ante menſibus, cum Philoſophiæ ſtudiis manum extre-*

mam

mam imponerem, passus es exorari, Theses ut meæ non alio nomine gloriarentur quam Tuo. Æquiori nunc jure hanc Tuis pedibus Orationem advolvo; quæ & habita coram Te est, & divini Spiritus laudes exequitur, qui Tuo hæret lateri, & in Te Ecclesiam administrat, ac regit. Excusarem, si locus, aut necessitas ferret, tenuitatem styli, imparemque Argumento eloquentiam. At, quis nesciat de Deo pro dignitate loqui non posse, nisi qui unam ex iis linguis acceperit, quarum ingens, & felix copia Sacrâ Pentecostes Die supra Apostolorum Capita depluit. Uni Tibi BEATISSIME PATER *ista felicitas contigit. Ex quo enim supra* PETRI CATHEDRAM *sedes, hæreditario quodam jure non modo Ecclesiæ præsides universæ; sed eâ etiam loqueris linguâ, quæ in Sionis Cœnaculo Apostolorum Principi insederat. Hanc ille moriens cum Pontificia Majestate Romæ deposuit: Hac Decessores Tui usi sunt: Hanc in Te cum Augusti Principatus insignibus detulit Deus. Id igitur Tibi à superis precer: Ut Tuam hanc, seu potiùs Divini Spiritus linguam Gentes omnes, ac Populi eâ animi Veneratione audiant, qua Tuos ego Pedes exosculor.*

ORATIO.



Aptiſmus ille Fluminis, BEATISSIME PATER, quo circa ipſum Mundi exordium Mortalium culpas ultus eſt Deus, Hominum ſcelera communi internecione peccantium puniit, non deterſit. At ille Baptiſmus Sanguinis, qui, ubi venit plenitudo temporis, fluxit de fontibus Salvatoris, humanum genus non perdidit, ſed ſervavit. Illud unice à ſumma Divini Numinis largitate ſperandum ſupererat, ut quos Baptiſmo Fluminis puniverat Pater, quos Baptiſmo Sanguinis redemerat Filius; Baptiſmo Flaminis Divinus Spiritus recrearet fœcundaretque.

D. Aug. lib. 1. de Baptiſmo contr. Donatiſ. cap. ult.

Igitur Increatus Patris, ac Filii Amor, ut legem abroget ſervitutis, ut novam adoptionis legem ferat; non à fumo & caligine, non à ferali fulgurum luce, non demum ab horrido tonitruum, tubarumque fragore, ſed à vitalis auræ ſonitu, ab innocua linguarum flamma Redemptionis noſtræ additamentum auſpicatur.

Enim verò quorſum factum eſſe repen-

te

te de Cœlo ſonum arbitremur; niſi ut è diru-
tæ Synagogæ ruderibus repercuſſus ad ulti-
mos uſque deficientis naturæ terminos re-
flecteretur. Quorſum ignis non aculeatus in
fulmina, ſed conformatus in linguas, Apo-
ſtolorum capita coronavit, niſi ut teneras
Fidei plantas ad maturitatem adduceret? Vel
potius ut nata recens Eccleſia ex ipſis quod-
ammodo cunabulis non modo non balbuti-
ret, ſed tot linguarum acceſſione donata,
uno, eodemque tempore, quotquot aderant,
populos, lingua, moribuſque diſcordes eru-
diret? Demum vehementior ille Spiritus,
qui Sionem implevit, aut tepentem adhuc
Sponſi Sanguine Eccleſiæ hortum Charitatis
Auſtro perflavit, aut penſiles Amoris flam-
mas eventilans per omnes mundi tractus ſa-
lutare diſſeminavit incendium.

Videor jam mihi videre primos Fidei
Præcones, hoc excitatos ſono, hac aurâ re-
creatos, his flammis accenſos à Cœnaculi
anguſtiis in publicum proſilire: & qui navi-
culariam fecerant, qui retia in piſcium ca-
pturam tractaverant; magnarum nunc rerum
agitare conſilia; vitio, errorique moliri bel-
lum; in exteras quaſque gentes expeditio-

nem

nem adornare : audere omnia ; timere nihil : & modò illis ſpes excindendæ ſuperſtitionis affulgeat , nec operis difficultatibus vinci , nec periculis frangi , nec demum mortis metu à ſuſcepto amplificandæ Fidei conſilio deterreri .

Hìnc factum eſt , ut decidentis Nili fragor impedimento non fuerit , ne advenientis Spiritus ſonum exaudiret Ægyptius : Hìnc immodicos æſtus , quibus Africa vicino à ſole torretur , aſpirans è Sionis Domo aura temperavit : Hìnc æternas glacies , quibus Natura Scytharum ingenia duraverat, immiſſus è Cœlo flammarum imber eliquavit , ac domuit . Hodie demum Amoris lex Hyeroſolymæ portum egreſſa , aſpirante divini Flaminis aurâ , prælucentibus pro Cynoſurâ ardentibus linguis ad remotiſſimas quaſque gentes adnavigavit . Expoſitiſque Fidei Præconibus , non omnes modo errorum tenebras veritatis luce diſcuſſit , ſed etiam vitiorum ſordes morum ſanctitate perpurgavit .

Pudeat hìc Romanorum exercituum Duces ſplendidarum nuncupationum , quas à devictarum Gentium nomine , per populorum clades , & Regnorum excidia ſibi quæ-

rere

rere conſuevere. Quanto ego potiori illos jure compendiariâ quadam appellatione vocaverim Europeos, Aſiaticos, Africanos, qui nullo armorum ſtrepitu, nullâque Provinciarum vaſtitate ſalutare Chriſti jugum Scythis, Medis, Parthis, Hircaniſque, ipſis etiam Indis impoſuere! Quos inter Apoſtolorum Principem Petrum, honeſtiſſimum ex hac ipsâ Urbe Orbis olìm Dominâ, nunc & Magiſtrâ, nomen mutuatus, non aliter appellaverim, quam Romanum. Ipſe enim Urbem hanc Deo, ipſe huic Urbi Orbem fecit Vectigalem.

Meminerit proinde Roma ſui muneris eſſe: ſi fidem, quò nondum pervaſit, ſtrenuè inferat; ubi viget, conſtantiſſimè tueatur.

